DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

IDEAM DISPENSATORII NOSTRIS TEMPORIBUS ACCOMMODATI

QUAM

CONSENSU

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

PRO LICENTIA

SUMMOS IN MEDICINA HONORES

AC

PRIVILEGIA DOCTORALIA

LEGITIME ASSEQUENDI

DIE XII. APRILIS MDCCLXXIV.

H. L. Q. C.

SOLENNITER DEFENDET

PHIL. LUDOVICUS WITTWER

NORIMBERGENSIS.

ARGENTORATI,

Ex Prelo JOH. HENRICI HEITZII, Universit. Typogr.

SACRI ROMANI IMPERII

LIBERÆ AC PERILLUSTRIS

REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS

SENATUI

SPLENDIDIDISSIMO

VIRIS

PERILLUSTRIBUS GENEROSISSIMIS ATQUE PRUDENTISSIMIS DOMINIS

DOMINIS

DUUMVIRIS

TRIUMVIRIS

SEPTEMVIRIS

CONSULIBUS

RELIQUISQUE

SENATORIBUS

PATRIÆ PATRIBUS OPTIMIS

MÆCENATIBUS ATQUE PATRONIS

GRATIOSISSIMIS

NEC NON

INCLITI COLLEGII MEDICI
REIPUBLICÆ
NORIMBERGENSIS
PERILLUSTRIBUS ET GENEROSISSIMIS
DOMINIS
PRÆSIDIBUS
VIRIS
CONSULARIBUS
SPLENDIDISSIMIS
ITEMQUE
DOMINIS
DECANO SPECTATISSIMO
SENIORIBUS GRAVISSIMIS
EX QUORUM NUMERO PIETATIS CAUSA
NOMINARE MIHI LICEAT
PARENTEM OPTIMUM
CUJUS AMORI INDULGENTIÆ
ME MEUMQUE ANIMUM SEMPITERNÆ GRATÆQUE REVERENTIÆ RELIGIONE
OBSTRICTUM PROFITEOR
AC RELIQUIS
EJUSDEM COLLEGII MEMBRIS
MEDENDI PRUDENTIA ORNATISSIMIS
EXCELLENTISSIMISQUE VIRIS

DOMINIS

MÆCENATIBUS

PATRONIS

ET

FAUTORIBUS SUIS

INTER

PIA ARDENTIA

PRO

EORUM

INCOLUMITATE VOTA

HOC QUIDQUID EST OPELLÆ

MENTE GRATA DEVOTA PIA

D. D. D.

TANTORUM NOMINUM

CULTOR OBSERVANTISSIMUS

PHILIPPUS LUDOVICUS WITTWER.



§. I.



edicina, quæ quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paullatim, recentiori ævo, pluribus ex cauſis, in tam multiplicem crevit varietatem, ut hominis laborioſiſſimi vita quamvis longa, felix memoria, ingenii haud ſpernendi acumen, illi, pro vaſtiſſimo, quo patet, campo, ſolide addiſcendæ vix ſufficere videatur: hæc ſingulatim latius nunc deducere, nec animus eſt, nec fert inſtituti noſtri ratio. Satis, ni fallor, intelliget æquus rerum arbiter a vero non longe abeſſe ea, quæ ſumſimus, perpendat modo, quam ardua ſit, quæ ad exactam medicaminum ad quoſvis morbos efficaciſſimorum cognitionem ducit, via. Inſignis prorſus eſt, ſilentio præterire non poſſum, quam in hoc negotio diſcendi cupidis præſtitit operam Cel. SPIELMANN, Præceptor cui me plurima debere gratiſſima mente agnoſco, Nova *Materia Medica*, non ita pridem prelo commiſſa, qua maculas in hac artis ſalutaris parte adhucdum nimis frequenter obvias abſterſit, caligines diſpulit. Nec tacendum, quantum lucis huic rei conciliaverint libri

pharmacevtici, qui abhinc aliquo tempore, meliori ac antea judicio concinnati fuerunt. Non desunt Dispensatoria, Pharmacopoeæ, Antidotaria, quibus Medicamenta tam simplicia, quam composita, eorumque præparandorum ac conficiendorum ratio recensentur; ea vero utut laude digna nonnulla adhuc desideranda relinquere, nævis suis laborare, quis est, qui negare audet? Talia mecum reputans de nova Dispensatorii nostris temporibus accommodati idea adornanda consilium cepi. In modum Speciminis Academici eam B. L. nunc Tibi sisto. pretium operi statuas, quod velis, nihil enim impedio; me in re non inutili periculum fecisse, juvabit.

§. II.

Nec alienum loco nec ingratum fore spero, si materiæ nostræ tractandæ succinctam & accuratam veterum Auctorum, qui medicamenta inter se miscendi, præparandi & componendi viam monstrarunt, historiam præmisero; ita enim mihi nascetur occasio inquirendi in causas, quæ tot inconcinnas & absurdas compositionum præscriptiones produxerunt, quarum nonnullæ adhuc hodie, quod sane dolendum, in honore sunt.

§. III.

Parentem nostrum HIPPOCRATEM maxime medicamentis simplicibus usum fuisse & pauca modo junxisse, si quædam inter se miscere ratio aut necessitas illi suadebant, luce clarius ex scriptis ejus patet *a*). Naturam ipsa simplicitate sublimem presso semper pede sequendo, optimum exemplum posteris ad imitandum proposuit, qui vero neglecta hac felici simplicitate, subtilius circa mor-

---

a) LE CLERC *Histoire de la Medecine* p. 216.

bos, eorum naturam, caufas atque effectus differentes mox varia fimplicia, quorum nec naturam rite exploratam nec efficaciam experientia fana confirmatam habebant, inter fe mifcere & fub forma quadam ægrotis propinare cœperunt, in quorum numero præcipue HEROPHILUS *b*), jam tum a prudenti ERASISTRATO reprehenfus *c*), habetur. Nec, uti nemo dubitabit, rationibus deftituti erant, quibus neceffitatem & præftantiam talium Compofitionum probarent & exornarent. Variæ ideæ, quibus Medici pro varia, cui adhærebant, Philofophorum fecta, de naturis corporum erant imbuti, vario medicamenta componendi modo non levem rationem dederunt. Sceptici, de viribus omnium fimplicium dubitantes, plura componebant, ut, fi vel unum fperatum effectum denegaret, tamen alterum proficeret. Dein fecundum principia Peripatetica qualitates tam Corporis Humani quam medicamentorum ad quaternarium referentes numerum & fingulas claffes in quatuor claffes fubdividentes amplas nacti funt occafiones multa inter fe mifcendi: nimis enim eminens unius medicamenti gradus altero ex oppofita claffe petito erat infringendus, aut jufto debilior, incitandus; novum erat adjiciendum, ne hæc juncta nimis intenderent aut deprimerent, quod tamen, fi qualitatem morbo contrariam habere credebatur, aliud requirebat, quod hunc effectum corrigeret, & ita longe plurima coacervabantur, quæ ipfa pro vario ægri temperamento denuo varie accommodanda effe putaban-

b) Ill. HALLERI *Bibl. Botanic.* T. I. p. 48.

c) PLUTARCH. *Sympof.* L. IV. Quæft. I. "Erafiftratus ftultitiam & „fupervacaneam eorum damnat diligentiam, qui foffilia, herbas, „a feris, e terra & mari deprompta confundant remedia, cenfet„que expedire, ut iftis omiffis in ptifana, cucurbita & oleo aqua „temperato medicina relinquatur."

tur. Præterea etiam exinde multa in unum congerebant medicamenta, quia certis corporis partibus certa medicamenta propria esse reputabant; hinc medicinam præscripturi componebant primo talia, quæ parti affectæ dicata esse reputarunt, addebant dein ea, quæ temperiei læsæ proficua fore crediderunt, non raro quoque alia adjicientes, quæ visceribus nobilioribus prospicerent, & ita non solum unius morbi cum omnibus causis & symptomatibus curationem uno eodemque medicamento perfici, sed etiam pluribus plane diversis Corporis effectibus obveniri & ab illis sibi præcaveri posse sperabant: hac ratione Compositio jam satis abundans reddita, tamen nondum in mente bonorum Veterum perfecta videbatur, mox enim hoc ingredientium nimis lentum in suo itinere calcari, illud nimis præceps freno indigebat, aliud comitem, ne a recto tramite aberraret, aliud custodem volebat, ne, antequam effectum edere posset, consumeretur, quibus & pluribus adhuc similibus somniis, nec non, quod Plinio d) lubentissime concedimus, ostentatione artis & portentosa scientiæ venditatione, Composita prodibant, quæ farraginem medicamentorum non efficacium, non raro plane contrariis virtutibus instructorum, hinc se invicem destruentium continebant; plurima quoque pauca illa efficacia in tam parva dosi recipiebant, ut plane nullus effectus ab his amplius expectari posset.

§. IV.

Hæc miscendi & componendi vesana libido, speciosis licet argumentis suffulta, omnes omnino terminos excessit, postquam de parandis medicamentis, quæ cuicunque veneno resisterent, cogitare cœperunt, testibus

d) Plin. *Histor. Natur.* L. XXIX. C. 1.

famosis illis MITHRIDATIS & ANDROMACHI Antidotis. Galenica schola, cæterum medicinæ Hippocraticæ quam maxime fida, partim ob rationes, quas dixi, partim exemplo Virorum, qui maximi habebantur, & quos imitari artis complementum esse ducebant, allecta, pruritum illum componendi ulterius propagavit; tandem Arabes Medicinæ studium sibi vindicantes, etiam in hoc mire sibi placuerunt, & cum multa nova simplicia in promtu haberent, nec non sacchari usus ipsis cognitus esset, & ægrotorum gustus quoque rationem habendam esse ducerent, largam messem Compositorum & Præparatorum posteris asservarunt. Conservæ, Confectiones, Syrupi, Electuaria, Rob &c. sine dubio his natalibus orta, cum reliquo grege in Europam commigrarunt. Præterea Chemiæ Pharmacevticæ incunabula inter Arabes quærenda esse, eorum scripta docent *e*), quæ dein ab Europæis magis exculta, nova compositionum genera introduxit. Cum itaque plurimæ rationes, quæ prolixas Compositiones Galenicas commendabant, Chemicis etiam se probaverint, non pauci surrexerunt Medici, qui proficuum fore crediderunt ægrotis, si Galenica Chemicis jungerent, & ita prolixa jam medicamenta vel prolixiora redderent; cui accedit, quod res pharmacevtica per instituta ulteriora in Orientem & novum Orbem itinera multis novis medicamentis aucta fuerit.

§. V.

His ex fontibus ortas Compositiones, nimis multas quam ut memoria possent retineri, jam proximi ab illarum inventione Scriptores colligere & posteris tradere cœperunt, quæ collectiones labente ætate sub *Antidota-*

A 3

e) STOLL. *Historie der medicin. Gelahrtheit* p. 265.

riorum, *Pharmacopœarum*, *Diſpenſatoriorum* nomine veniebant. Antiquiſſimos horum Auctorum ſolummodo ex ſcriptis GALENI novimus, cum de iis nil niſi nomen ad nos pervenerit; nihilominus tamen unius GALENO antiquioris opus hodie adhuc poſſidemus, SCRIBONII LARGI *Compoſitiones Medicas* puta; has ab Auctore Romano, qui TIBERIO & CLAUDIO Imperatoribus vixit, græco idiomate, uti CORNARIUS & alii evincere volunt, ſcriptas & demum inferiori ævo translatas, primum RUELLIUS e tenebris eruit, & dein JOH. RHODIUS notis & Lexico Scriboniano, in editione Patavina 1655. 4°. illuſtravit. Plurima tamen ex omni antiquitate compoſita collegit & obſervavit GALENUS, hic enim ipſe Pharmacopola, & circa præparanda medicamenta multum verſatus, omnes præſcriptiones ſuo tempore cognitas congeſſit, & in ordinem redegit, quas libri *de Theriaca ad Piſonem*, *& ad Pamphilianum*, *de Antidotis*, *de Medicamentorum compoſitione ſecundum locos*, & illi *ſecundum genera* continent, duo poſteriores maximam conſtituunt partem, eorum enim *ſecundum locos* ſunt decem, qui compoſitiones ſecundum partes Corporis Humani a capite ad calcem uſque, quibus inſervire debent, recenſent; horum autem *ſecundum genera*, quos in ſenio conſcripſit, ſeptem extant, in quibus formas compoſitionum ſecutus eſt, duos alios de compoſitione medicamentorum libros jam editos incendio periiſſe ipſe monet *f*); iſti temporis invidiæ erepti ſæpius tam ſeorſim prodierunt, quam in Collectionibus Operum GALENI. MARCELLUS EMPIRICUS, Burdegalenſis, ſeculi quarti auctor, pariter de *Medicamentis empiricis*, *phyſicis & rationalibus* tractatum reliquit, a CORNARIO, Baſil. 1536. fol. prima vice editum. Præter hos recenſitos nulli ante occaſum Medicinæ in Græ-

f) De *Compoſit. medicament. ſecundum gen.* L. I. C. 1.

cia & Italia Scriptores circa rem pharmacevticam extant, ſed ulteriores jam inter Arabes quærendi ſunt, inter quos eminet MESUE junior, qui, probante FREIND, ſeculo duodecimo floruit, nonnulli Arabum jam ante eum quidem libros medicamenta compoſita ſpectantes compoſuerunt, quorum non pauci adhucdum inediti in Bibliotheca regia Pariſina aſſervantur, ab Ill. HALLER recenſiti *g*); is autem uberrimam Collectionem Præſcriptionum, tam a Græcis acceptarum, quam inter Arabes primum inventarum inſtituit, nomine GRABADIN inſignivit, & in duos libros diſtinxit, quorum prior, in duodecim ſectiones ſubdiviſus, methodo Galenica, medicamenta ſecundum genera proponit, & a Translatoribus *Antidotarium* vocatus fuit; poſterior, *de Appropriatis*, ſecundum locos remedia tractare incipit, ſed imperfectus deſinit, quem PETRUS APPONUS & FRANCISCUS PEDEMONTANUS, quorum uterque ſub principio XIV. ſeculi floruit, ſupplere tentarunt, quam ob rem etiam Operibus MESUE ſemper ſolent adjici. MESUE Opera prima vice Venetiis 1484. fol. prodierunt, quæ SYLVIUS ex barbaro ſermone nitida & latine facta Pariſiis 1542. fol. edidit, poſtea inſtructiſſima editione Venetiis 1589. fol. una cum Commentariis MUNDINI, MANARDI, SYLVII, HONESTI & JOH. COSTÆI publici juris facta. Medicinæ ſtudio ſæculo XII. inter Europæos reſuſcitato, varii qui compoſitiones Medicamentorum tradebant, prodierunt tractatus. HILDEGARDIN, Abbatiſſam Gingenſem, quæ ſeculo XII. vixit, librum de compoſitis reliquiſſe, apud Ill. HALLER *h*) reperio, ubi etiam plures codices nondum impreſſi hujus ætatis recenſentur. GUILIELMUS DE SALICETO, ſeculi XIII Auctor, ſuæ *Chirurgiæ* Antidotarium adjecit JOHANNIS, ab officio ACTUARII, de

---

g) *Bibl. Botanic.* T. I

h) *l. c.* & T. II. in addendis.

cujus ætate adhuc ſub judice lis eſt, etſi valde veroſimile ſit, eum ante MYREPSUM vixiſſe, ſub nomine extat liber *de Medicamentorum Compoſitione*, J RUELLIO interprete, Pariſiis editus 1539. 8°. de quo tamen KESTNER in *Bibliotheca Medica* p. 112. monuit, eum non eſſe proprium quendam tractatum, ſed librum quintum & ſextum *Methodi medendi*, ſeorſim editos a RUELLIO & proprio titulo inſcriptos, hic Græcus pleraque a priſcis habet, reliqua tamen ſibi vindicat, Arabum voces & medicamenta cum Græcis conjungit & claſſes medicamentorum ſecundum formas diſtinguit. NICOLAUS MYREPSUS Alexandrinus, ſeculi XIII. Scriptor, hunc excipit, cujus ſub nomine extat *Medicamentorum opus*, *in ſectiones 46. diviſum, digeſtum*, a LEONH. FUCHSIO e græco in latinum ſermonem converſum, annotationibus illuſtratum, Splendid. Senatui Norimbergenſi dedicatum, & editum Baſil. 1549. fol. Numerus compoſitionum enormis eſt, ſuperſtitionis admiſtæ plurimum, ordo ſecundum litteras alphabeti græci, non ad formulas, neque ad morbos, ſed ad nomina & titulos, ut omnes Athanaſiæ in unam ſectionem congeſtæ ſint, in aliam Lexipyreta, Droſata, Dyſenterica &c. Hoc opus vulgo ſub nomine *Nicolai magni* venire ſolet; illud vero, quod *Nicolaum parvum* vocant, compendium illius eſſe videtur, & idem cum NICOLAI *Præpoſiti*, Auctoris ſeculi XIV. *Diſpenſario ad Aromatarios*, quod primum Venetiis 1471. prodiit, & ut plurimum MESUE Operibus adjicitur, in hunc PLATEARIUS ejus coævus commentatus eſt, cujus *Expoſitio in Antidotarium Nicolai Præpoſiti* Venet. 1490. fol. prodiit, nec non JOH. A S. AMANDO, qui ad finem ſeculi XV. floruit, quorum uterque cum MESUE proſtat. Sequenti ætate Arabum libri ab hominibus, linguæ non ſatis gnaris, in latinum ſermonem verſi, & commentariis, annotationibus, explicationibus non illuſtrati, ſed, utplurimum obſcuriores

redditi,

redditi, in componendis medicamentis duces fuerunt, una cum illis posterioris ævi Græcis. Nihilominus quidam privos Codices ex his compilarunt, quo præter Nicolaum *Salernitanum* s. *Præpositum*, cujus mentionem feci, pertinent: Nicolus, qui sub initio seculi XV. *Sermones medicinales* scripsit, quorum octavus medicamenta composita recenset, quique Venet. 1491. prodierunt. Guainerius, qui seculo XV. floruit, & cujus *Antidotarium* Papiæ 1518. primum prodiit. Jacobus de Partibus, qui anno 1465. obiit & *Inventarium omnium medicaminum, confectionum, pilularum, pulverum, emplastrorum, unguentorum, oleorum* reliquit. Saladinus Asculanus, Principis Tarenti Medicus, qui 1448. floruit, & *Compendium aromatariorum* conscripsit, solum Bonon. 1488. excusum & dein cum Mesue sæpius editum. Quiricus de Augustis de Torthona, hic *Lumen apothecariorum* reliquit, quod cum aliis ejusdem argumenti Operibus prodiit Venet. 1549. fol. & sub nomine *Luminaris minoris* venire solet. Petrus Suardus, cujus *Thesaurus aromatariorum Medicis & Aromatariis æque utilis ad Mediolanenses Medicos* prodiit Lugdun. 1528. fol. J. Jacobus Manlius de Bosco, Alexandrinus, aut, uti Hallerus credit, Insuber, Antidotarium prioribus multo amplius edidit, & titulo *Luminaris majoris* insignivit, prodiit illud Venet. 1496. fol. Symphorianus Champier, qui in posterioribus libris se *Campegium* vocavit, Lugdunensis, extat ejus *Officina apothecariorum ac juniorum medicorum*, cui accessit *Antidotarius continens secreta sublimia* Lugd. 1532. 8°. De Sepulveda edidit *Manipulum medicinarum, in quo continentur omnes medicinæ tam simplices quam compositæ* Salmant. 1523. Savanarola, seculi XV. Auctor, cujus *Catalogus continens tam simplicium quam compositorum medicamentorum nomenclaturas* Argentorati 1533. impressus est.

§. VI.

Huc usque Pharmacopolæ in conficiendis & componendis medicamentis prædictos libros sequebantur, & ad hunc scopum, quemcunque libuerat, eligebant, nec publica quadam auctoritate adstricti erant, sive simplicia, sive composita paranda & asservanda species, quam multæ noxæ, turbæ ac rixæ, Medicis, Pharmacopolis, & ægrotis exinde surgere poterant, facile patet Nulla enim alia ratione Medicus securus esse potest de rita & præscriptionibus respondente medicamentorum præparatione, nisi Pharmacopola publica fide adstringatur ad ea observanda, quæ in Dispensatorio publico jubentur, nec Pharmacopolæ vexationes Medici inimici alia evadendi via patet; hinc omnino maxima laus debetur Splendidissimo Senatui Norimbergensi, qui primus, prudentissimo consilio, quo semper salutem Civium curat, Dispensatorium publicum, sua auctoritate munitum, edi curavit; quo facto, non solum novam in Historia Pharmaciæ periodum inchoavit, sed etiam æternum sapientiæ ac providentiæ monumentum condidit, innumerisque aliis addidit. Occasionem præbuit VALERIUS CORDUS, Juvenis, singulari doctrina & ardenti studio Botanices reliquæque Historiæ Naturalis insignis, qui, cum anno 1542. iter in Italiam institueret, etiam Norimbergam petiit, ibique per aliquod tempus moratus est, is a prima juventute in medicamentis cognoscendis & præparandis multum versatus, officinas pharmacevticas mendis, quibus scatebant, purgare, optimos composita parandi modos eruere, & nova medicamenta introducere tentavit, hinc codicem conscriptum & nomine *Dispensatorii*, (quo nullum ante eum usum fuisse reperio) insignitum, Senatui Norimbergensi tradidit, qui illum judicio Medicorum hujus urbis subjecit, quibus dein CORDUS rationes

ſuorum conaminum expoſuit, ab his probatum, prodiit tandem, publica auctoritate inſtructum, VAL. CORDI *Diſpenſatorium ſeu pharmacorum conficiendorum ratio*, Norimbergæ, typis Petrejanis excuſum; nullus quidem annus primæ editioni præfixus eſt, cum autem in præfatione, mortis VAL. CORDI præmaturæ mentio facta, quæ anno 1544. Romæ evenit, veroſimile eſt eam anno 1545. in lucem editam fuiſſe. Magnam mox acquiſivit famam novum hoc Diſpenſatorium, & multoties in Gallia, Belgio & Italia recuſum fuit, nec non ad ejus exemplar variis locis Pharmacopœæ publicæ inſtructæ fuerunt, inter quas præcipuum locum meretur illa Auguſtanorum celebrata, quam ADOLPHUS Occo juſſu Magiſtratus adornavit, & anno 1564 ſequenti ſub titulo edidit: *Pharmacopœa ſ. Medicamentarium pro Republica Auguſtana, cui acceſſere ſimplicia omnia, officinis noſtris uſitata*, hanc mox *Colonienſis* i), & innumeræ aliæ, ſub auſpiciis Principum & Magiſtratuum ad hodiernum uſque diem ſecutæ ſunt, ita, ut ſuperiori & noſtro ſeculo tantus Diſpenſatoriorum numerus in lucem prodierit, ut inde Ars pharmaceutica non tam irrigata & recreata, quam inundata potius fuerit. Longe plurimi enim auctores, quibus negotium præſcriptiones publica auctoritate condecorandas elaborandi conceſſum erat, nihil prius, nihil antiquius habebant, quam ut eaſdem ex anteceſſorum operibus deſcriberent, collectorum, non auctorum rationis & experientiæ viam ingredientium munere fungentes.

§. VII.

Noviſſimis tandem temporibus primum Angli ſuas Pharmacopœas pariter farragine medicamentorum futi-

i) *Diſpenſatorium uſuale pro Pharmacopœis Coloniæ.* Col. 1565. 8

lium obrutas, expurgare, & sanioribus Therapiæ & Chemiæ principiis convenientes reddere tentarunt, de qua re proprio scripto uberius exposuerunt k), & postea tam Londini, quam Edinburgi Pharmacopœas reformatas ediderunt. Cæterarum gentium ac civitatum, quæ horum vestigia legerunt, molimina enarrare, quia nimis longum foret, supersedeo. Larga messe ab aliis facta, ipse spicilegium nunc instituam. Quem ordinem servaturus sim, prius paucissimis indicabo. Primo loco recensebo simplicia, quæ prostare debent in officinis, & cum in colligendis vegetabilibus, quæ nobis indigena sunt, maximi omnino momenti sit, accurate species nosse, quæ recipi debent, hinc illis nomen triviale Ill. LINNÆI adjeci, ut ex scriptis egregii hujus Viri, nec non ex *Historia stirpium Helvetiæ* Ill. HALLERI accurate determinari possit, quæ species sit recipienda, & res omni attentione digna non ulterius ab arbitrio rhizotomarum, rusticorum &c. pendeat; dein composita enumerabo, circa quæ illos auctores indicavi, apud quos optimam parandi rationem descriptam esse puto. Allego hic nomina & titulos eorum, nec non editiones, quibus usus sum:

Codex Medicamentarius, seu *Pharmacopœa Parisiensis, ex mandato Facultatis Medicinæ Parisiensis in lucem edita.* Editio 5ta Paris. 1758. 4°.

Dispensatorium Pharmaceuticum Austriaco-Viennense. Vindob. 1765. fol.

HUXHAM *Opera Physico-Medica*, curante G. C. REICHEL. T. III. Lipsiæ 1764. 8°.

---

k) *The Plan of a new London Pharmacopœia, proposed to the College of Physicians, by their Committee appointed for that purpose.* 1745. 8.

MEYER *Chymische Versuche zur nähern Erkenntniss des ungelöschten Kalchs* &c. Hannover u. Leipzig 1764. 8°.

Pharmacopœia Argentoratensis. Argentorati 1757. fol.

- - - - - *Danica.* Havniæ 1772. 4°.

- - - - - *Collegii Regii Medicorum Edinburgensis.* Edit. 3tia 1735. 8°.

- - - - - *Leidensis.* Edit. 3tia Lugd. Bat. 1751. 8°.

- - - - - *Collegii Regalis Medicorum Londinensis.* Lond. 1746. 8°.

- - - - - *Wirtenbergica.* Stutgard. 1771. fol.

JAC. REINB. SPIELMANN *Institutiones Chemiæ.* Edit. altera, Argent. 1766. 8°.

DAN. WILH. TRILLER *Dispensatorium Pharmaceuticum universale.* Francof. ad Mœn. 1764. 4°.

JOH. CHR. WESTENDORFF *Dissert. de optima Acetum concentratum ejusdemque naphtam conficiendi ratione, utriusque affectionibus ac usu medico.* Gœtt. 1772. 4°.

J. C. WIEGLEB *Fortgesetzte kleine chymische Abhandlungen.* Langens. 1770. 8°. *die achte Abhandlung.*

§. VIII.

Facile largior numerum medicamentorum multum adhuc posse imminui, cum autem non solum Medici sit, secure ac cito curare, sed etiam, si fieri potest, jucunde, hinc gustui atque palato ægroti blandiendum, & si quoddam medicamentum illi minus placet, aliud non minus efficax eidem indicationi conveniens substituendum sit; dein, in morbis chronicis longe protractis ejusdem medicamenti usus sæpe ægroto tædium paret, aut nauseam moveat, nec raro

natura uni remedio assuefiat, ut nullam ulterius mutationem ex illo experiatur, exinde non pauca retinenda esse duco, quæ omnino viribus conveniunt, & quorum unum utique suffecisset, si arctissimo limite res medicamentaria esset circumscribenda.

§. IX.

Cum autem ab justo pondere omnia in adhibitione medicamentorum pendeant, hinc omnino in quolibet Dispensatorio, ad quam libram pondera, quæ recipiuntur, sint referenda, erit indicandum, ut Medicus rationes eorum ad alia perspicere possit, & nunquam in re tam gravi, designanda nempe medicamentorum dosi, in errorem inducatur. In quibusdam locis pondera, quæ medicinalia vocantur, libram civilem sequuntur, & ibi, ubi duplex libræ genus obtinet, tunc minus officinæ recipiunt, in aliis autem proprium ponderum genus constituunt, uti *Norimbergæ*, quod fere in tota Germania receptum est; cum Cl. TILLET in libro: *Essais sur le rapport des poids étrangers avec le marc de France*, Paris. 1766. edito, pondera civilia eorumque rationes ad Parisinum accuratissime determinaverit, ponderis autem medicinalis, quod Norimbergæ paratur, nullam mentionem fecerit, non inconsultum esse duxi, quænam sit hujus ponderis ad Marcam Ratisbonensem, cujus TILLET meminit, ratio, hic adjicere. Hoc ut Tecum, B. L. communicare possim, debeo humano ac facili ingenio Viri peritissimi KOLBII, qui in urbe patria ad determinandas stateras atque pondera publica fide adstrictus est, & cujus fama ac existimatio apud exteros quoque percrebuit, sub hujus igitur Viri fide de pondere medicinali Norimbergæ parato hæc affirmare possum, quod ejus Marca centum & octo granis Marcam Ratisbonensem excedat; hinc

drachma ponderis medicinalis drachmam Parisinam $1\frac{5}{8}$ grano superat. Ejus scrupulus 20 grana æquat. Libra fluidorum vulgo Romanam denotat, & uncias duodecim comprehendit.

§. X.

Tandem etiam de collectione & asservatione simplicium Pharmacopolis quædam præcipienda sunt. Hic solummodo aliquid de tempore singulas Vegetabilium partes colligendi ex Vegetabilium natura derivatum notabo. *Radices annuæ & biennes* colligi debent, quando florum rudimenta apparent, *perennes* sive vere sive autumno maturatis seminibus, *Folia* dum flores expanduntur, *Flores* quando in maximo vigore sunt, *Semina* autem dum fructus omnino maturuit. Quod ad exsiccationem eorum attinet, optime valido clibani calore exsiccantur, cum aër & calor atmosphæræ, ea, quæ diutius in umbra, uti dicere solent, retinentur, evidentius corrumpant.

§. XI.

En nunc Syllabum Simplicium, quæ Medicis ad omnem, quam intendere possunt, indicationem abunde sufficient; exclusimus inde ea, quæ nonnisi recentia efficacia sunt, nec non ea, quæ nonnisi præparata in usum trahuntur, pariter ac fructus horæos exsiccatos apud pomarios quippe prostantes.

SIMPLICIA.

Acetum.
Aconitum. *Aconitum Napellus. L.*

Agaricus Laricis.	*Boletus Pini Laricis. L.*
Quercus.	*Boletus Igniarius, L.*
Aloë Succotrina.	
Alumen crudum.	
Ambra gryſea vera.	
Amygdalæ amaræ.	
dulces.	
Amylum.	
Antimonium crudum.	
Argentum foliatum.	
Aſa dulcis.	
fœtida.	
Avena.	
Avellanæ.	*Corylus Avellana. L.*
Aurum foliatum.	
Axungia Aſciæ piſcis.	
Leporis.	
Porci.	
Baccæ Alkekengi.	*Phyſalis Alkekengi. L.*
Juniperi.	*Juniperus communis. L.*
Lauri.	*Laurus nobilis. L.*
Balſamum Canadenſe.	
de Copaiba.	
de Mecca.	
Peruvianum nigrum.	
Bolus Armena.	
Borax depurat.	
Cacao.	
Calx viva.	
Camphora.	
Canella alba.	

Cantha-

Cantharides.	
Cardamomum minus.	
Caricæ.	
Caryophylli.	
Caſſia Fiſtula.	
Caſtoreum Sibiric.	
Cera citrina.	
alba.	
Ceruſſa Veneta.	
Cinamomum.	
Cineres clavellati.	
Coccionella.	
Colla piſcium.	
Colocynthis.	
Colophonia.	
Corallior. rubror. fragm.	
Corallina.	
Cornu Cervi raſpatum.	
Cortex Aurantiorum.	*Citrus Aurantium. L.*
Capparidis.	
Caſcarillæ.	
Chinæ.	
Citri.	*Citrus Medica. L.*
Granatorum.	*Punica Granatum. L.*
Ligni Guajaci.	
Saſſafras.	
Mezeræi.	*Daphne Laureola. L.*
Simaroubæ.	
Creta.	
Crocus.	

Cubebæ.	
Dactyli.	
Eboris Raſura.	
Fabarum Farina.	
Ferri Limatura.	
Flores Acaciæ.	*Prunus ſpinoſa. L.*
Arnicæ.	*Arnica montana. L.*
Balauſtiorum.	*Punica Granatum. L.*
Bellidis.	*Bellis perennis. L.*
Centaurii minoris.	*Gentiana Centaurium. L.*
ChamomillæRom.	*Anthemis nobilis. L.*
vulg.	*Matricaria Chamomilla. L.*
Farfaræ.	*Tuſſilago Farfara. L.*
Hyperici.	*Hypericum perforatum. L.*
Lamii albi.	*Lamium album. L.*
Lavendulæ.	*Lavandula Spica. L.*
Liliorum convall.	*Convallaria majalis. L.*
Lupuli.	*Humulus Lupulus. L.*
Malvæ arboreæ.	*Alcea roſea. L.*
Meliloti.	*Trifolium Melilot. officin. L.*
Papav. Rhœados.	*Papaver Rhœas. L.*
Perſicorum.	*Amygdalus Perſica. L.*
Primulæ Veris.	*Primula Veris officinalis. L.*
Roſarum pallidar.	*Roſa Damaſcena. L.*
rubrar.	*Roſa Gallica. L.* ſeu *Roſa ſativa rubra. C. B.*
Sambuci.	*Sambucus nigra. L.*
Scabioſæ.	*Scabioſa Arvenſis. L.*
Verbaſci.	*Verbaſcum Thapſus. L.*
Violarum.	*Viola odorata. L.*

Folia Lauri.	*Laurus nobilis. L.*
Sennæ Alexandrin.	
Folliculi Sennæ Alexand.	
Fungus Sambuci.	*Tremella Auricula. L.*
Gallæ.	
Gallinarum Ventriculi.	
Grana Chermes.	
Paradiſi.	
Gummi Ammoniacum.	
Arabicum.	
Elemi.	
Euphorbii.	
Galbani.	
Guajaci.	
Guttæ.	
Laccæ in bacul.	
Ladanum.	
Maſtychis.	
Myrrhæ.	
Olibani.	
Opoponacis.	
Sagapeni.	
Styracis.	
Tacamahacæ.	
Tragacanthæ. *a*)	
Herba Abrotani.	*Artemiſia Abrotanum. L.*
Abſynthii Pontici.	*Artemiſia Pontica. L.*
vulgaris.	*Artemiſia Abſynthium. L.*

a) Omnia exhibeantur in granis ſeu electa,

Herba Alchymillæ.	*Alchemilla vulgaris.* L.
Althææ.	*Althæa officinalis.* L.
Arnicæ.	*Arnica montana.* L.
Artemiſiæ.	*Artemiſia vulgaris.* L.
Aſari.	*Aſarum Europæum.* L.
Belladonnæ.	*Atropa Belladonna.* L.
Capilli Veneris.	*Adianth. Capillus Ven.* L. *b*)
Cardui benedicti.	*Centaurea benedicta.* L.
Chærefolii.	*Scandix Chærefolium.* L.
Chamædryos.	*Teucrium Chamædrys.* L.
Chamæpityos.	*Teucrium Chamæpitys.* L.
Cichorii.	*Cichorium Intybus.* L.
Cochleariæ.	*Cochlearia officinalis.* L.
Conſolid. Sarracen.	*Solidago Virgaurea.* L.
Euphraſiæ.	*Euphraſia officinalis.* L.
Fumariæ.	*Fumaria officinalis.* L.
Hederæ terreſtris.	*Glechoma hederacea.* L.
Hepaticæ ſtellatæ.	*Aſperula odorata.* L.
Hyoſcyami.	*Hyoſcyamus niger.* L.
Hyſſopi.	*Hyſſopus officinalis.* L.
Lamii Plinii.	*Melitis Meliſſophyllum.* L.
Linguæ Cervinæ.	*Aſplenium Scolopendrium.* L.
Majoranæ.	*Origanum Majorana.* L.
Meliſſæ.	*Meliſſa officinalis.* L.
Menthæ.	*Mentha criſpa.* L. *c*)

b) *Adianthum Canadenſe*, quod Adianthum pedatum L. eſt, præ cæteris aſſervari meretur.

c) Vulgo quidem hanc recipere ſolent, quæ ex Sibiria in noſtros hortos abiit, ſed ut ipſi *Mentha Piperita* L. plus gratiæ & aromatis habens ſubſtituatur, optandum eſt.

Herba Millefolii.	*Achillea Millefolium.* L. *d)*
Nicotianæ.	*Nicotiana Tabacum.* L.
Origani.	*Origanum vulgare.* L.
Plantaginis.	*Plantago major.* L.
Prunellæ.	*Prunella vulgaris.* L.
Pulegii.	*Mentha Pulegium.* L.
Pulmonariæ arbor.	*Lichen Pulmonarius.* L.
Pyrolæ.	*Pyrola rotundifolia.* L.
Rorismarini.	*Rosmarinus officinalis.* L.
Rutæ.	*Ruta graveolens.* L.
Sabinæ.	*Juniperus Sabina.* L.
Salviæ.	*Salvia officinalis.* L.
Saniculæ.	*Sanicula Europæa.* L.
Saponariæ.	*Saponaria officinalis.* L.
Saturejæ.	*Satureja hortensis.* L.
Scordii.	*Teucrium Scordium* L.
Serpilli.	*Thymus Serpillum.* L.
Theæ.	
Thymi vulgaris.	*Thymus vulgaris.* L.
Trifolii fibrini.	*Menyanthes trifoliata.* L.
Veronicæ.	*Veronica officinalis.* L.
Uva Ursi.	*Arbutus Uva Ursi.* L.
Hordeum.	*Vulgare.* L. *Hexastychon* L. *Distychon.* L.
Jujubæ.	
Lapis Calaminaris.	
Hæmatites.	
Spongiæ.	

d) *Achillea nobilis* L. potius est recipienda.

Lichen terreſtr. cinereus.	*Lichen caninus.* L.
Lignum Sanctum.	
Juniperi.	*Juniperus communis.* L.
Rhodii.	
Santali rubri.	
Saſſafras.	
Lumbrici.	
Lycoperdon.	*Lycoperdon Boviſta.* L.
Manna Canellata.	
de Giraci.	
Mater Perlarum.	
Mel crudum.	
Narbonenſe.	
Mercurius vivus.	
Millepedes.	
Minium.	
Moſchus Tunquinenſis.	
Nitrum.	
Nuces Moſchatæ.	
Pineæ.	
Piſtac.	
Vomicæ.	
Oculi Cancrorum.	
Olivarum Oleum.	
Opium.	
Oſſa Sepiæ.	
Papaveris albi Capita.	*Papaver ſomniferum.* L.
Paſſulæ majores.	
minores.	
Piper album.	

Piper longum.	
nigrum.	
Pix.	
Plumbum.	
Populi Oculi.	*Populus nigra.* L.
Radix Acori.	*Acorus Calamus.* L.
Alkannæ.	
Althææ.	*Althæa officinalis.* L.
Angelicæ.	*Angelica Archangelica.* L.
Apii.	*Apium graveolens.* L.
Ari.	*Arum maculatum.* L.
Aſari.	*Aſarum Europæum.* L.
Bardanæ.	*Arctium Lappa.* L.
Biſtortæ.	*Polygonum Biſtorta.* L.
Cardopatiæ.	*Carlina acaulis.* L.
Caryophyllatæ.	*Geum urbanum.* L.
Chelidonii major.	*Chelidonium majus.* L.
Chinæ.	
Cichorii.	*Cichorium Intybus.* L.
Colchici.	*Colchicum autumnale.* L.
